



**Commentarivs Pavli Bernriedensis, Antiqvi Scriptoris, De  
Vita Gregorii VII. Pontif. Max.**

**Paulus <Bernriedensis>**

**Ingolstadii, 1610**

Gregorivs In Romanvm Pontificem Electvs, Desiderio Abbati Monasterij S.  
Benedicti Montis Cassini, salutem in Christo lesv.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](#)

satis nobiliter educatum, & doctum, atque pro  
vita merito in Archidiaconatus honorem us-  
que hodie sublimatum, Hildebrandum vide-  
licet Archidiaconum, quem à modo usque  
in sempiternum esse, & dici GREGORIVM  
Papam, & Apostolicum volumus, & appro-  
bamus. Placet vobis? placet. Vultis eum?  
Volumus. Laudatis eum? laudamus.  
Acta Romæ X. Kalend. Maij, Indictio-  
ne XI.

Ipse quoque Gregorius de electione sua continuo  
has misit epistolas.

GREGORIVS IN ROMANVM  
PONTIFICEM ELECTVS, DESIDE-  
RIO Abbatij Monasterij S. Benedicti Montis Cassi-  
ni, salutem in Christo IESV.

Epist. Greg.  
VII. de sua  
Electione ad  
Desiderium  
Abbatem Cas-  
si. lib. I. epist. I.

**D**O MINVS noster Papa Alexander  
mortuus est, cuius mors super me ceci-  
dit, & omnia viscera mea concutiens, penitus  
conturbauit. Nam in morte quidem eius Ro-  
manus populus contra morem ita quieuit, &  
in manu nostra consilij frena dimisit, ut eu-  
denter appareret, ex DEI misericordia hoc  
prouenisse. Vnde, accepto consilio, hoc sta-  
tui-

tuimus, ut post triduanum ieiunium, post Litanias, & multorum orationem eleemosynis conditam, diuino fulti auxilio statueremus, quod melius de electione Romani Pontificis videretur. Sed subito cum predictus Dominus noster Papa in Ecclesia Saluatoris sepulturæ traderetur, ortus est magnus tumultus populi, & fremitus, & in me quasi vesani insurrexerunt: ita, ut cum Propheta possim dice-<sup>psal.68.</sup> re; Veni in altitudinem maris, & tempe-  
stas demersit me. Laboravi clamans, rau-<sup>psal.54.</sup>  
cæ factæ sunt fauces meæ. Et, Timor, &  
tremor venerunt super me, & contexe-  
runt me tenebræ. Sed quia in lecto iacens  
valde fatigatus satis dictare nequeo, angu-  
stias meas enarrare supersedeo. Te igitur per  
omnipotentem Dominum rogo, ut suffraga-<sup>Petit precum  
suffragia &</sup>  
neos fratres, & filios, quos in Christo nu-<sup>auxilia à Despi-  
derio.</sup>  
tris, ad exorandum D E V M pro me pro-  
uoces, & ex vera charitate inuites: qua-  
tenus oratio, qua me liberare debuit, ne in-  
currerem periculum, saltem tueatur in pe-  
riculo positum.

E 2 Tw

Tu autem ipse quantocuyus ad nos venire  
non pratermittas, qui quantum Romana Ec-  
clesiae indigeat, & in prudentia sua fiduciam  
habeat, non ignoras. ★ Dominam Agnetem  
Imperatricem, & Rainaldum venerabilem,  
Cumanum Episcopum ex nostra parte saluta:  
& quantum erga nos dilectionis habuerint,  
nunc ut ostendant, nostra vice fideliter obse-  
cra. Dat. Romæ. IX. Kal. Maij; Indictione  
undecima.

GREGORIVS IN ROMANVM  
PONTIFICEM ELECTVS GOTI-  
FREDO Duci, salutem in Domino  
Iesu Christo.

*Godefridus  
Dux, Beatrixis  
Maritus, lib. I.  
Greg. Epist. 9.*

**R**A T A nobis est latitia tua, quam in  
literis tuis de promotione nostra te ha-  
bere cognouimus, non ut hoc aliqua causa no-  
stra delectatio faciat, sed quod eam ex fonte  
syncera dilectionis, & fidelimente deriuatam  
esse, non dubitamus. Nostra enim promotio,  
qua sibi, ceterisq; fidelibus piam de nobis exi-  
stimationem, & gaudium administrat, nobis  
interni doloris amaritudine, & nimis anxie-  
tatis angustias generat. Videmus enim quan-  
ta